



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 67. Dixerunt ergo ei. v. 25.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

EGo videns Petrum stantem & calefacientem se ad ignem illum infelicem, dico meliori igni cum Ecclesia *Veni sancte spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregasti.*

§. 67. *Dixerunt ergo ei. v. 25.*

Milites cum ministris Principum circumstantes focum & Petrum considerantes habitu modestiore indutum, vultu ad terram deiecto, manibus plicatis infra brachia, pallidum & pene trementi similem præ angustia pectoris, cogitantes apud semetiplos, & colloquentes, *hic vir extraneus est, vir, ut apparet, anxius mente, interrogemus eum cuius sit, quid habeat anxietatis: fors inveniemus eum esse unum ex discipulis Christi captivi, & simul cum Magistro apprehendemus eum & trademus Pontificibus, & Sacerdotibus nostris, eadem enim pœna qua magister eius dignus erit, qui cum eo contraxit Principibus, & Senioribus nostris!* Hæc dæmone suggerente & instigante servos, ut Petrum interrogarent: ipsum Petrum quoque variè dæmon exagitavit cogitationibus, & tentavit, ut omnino à Iesu deficeret, iuxta verbum Iesu; *Ecce Sathanas expetivit vos, ut cribretet sicut triticum:* huius autem tentationis permissio fuit potestas tenebrarum.

O Pater omnipotens & clementissime licet nos è regno Sathanæ in regnum dilectissimi filij tui transtuleris, nequaquam tamen ab hostium impugnatione liberi evasimus. Hinc enim caro nos sollicitat, illinc mundus adblanditur, à fronte pariter & à tergo hostis impugnat potentissimus diabolus. Conantur nos omnes, ut abs te patre nostro desciscamus, impellere: at nos imbecillitatis nostræ non immemores ad te Deum, qui refugium nostrum es & virtus, confugimus, te etiam atque etiam obnixius deprecantes, ut in tam variis ac infestis tentationum insultibus, tu nobis robur, & animum addas, ne his succumbamus ac superemur: sed ut diaboli insultus, tuo adiuti præsidio, fortiter repellamus. Mundum & eius satellitium, divitias, honores, & pompas contemnimus. Carnem vero nostram coercemus, domemus, & spiritui subjiciamus, ut ita demum, tanquam invicti milites abs te in regno tuo cœlesti, in illa æterna beatorum patria coronari mereamur.

§. 68. *Nunquid & tu ex discipulis eius es? v. 25.*

Contemplati virum simplicem & rectum, interrogare cœperunt eum petulantes scurræ, prout fieri solet, inter similes aulae famulos, ut acquiserent ansam terendi tempus, iocando cum Petri simplicitate, & probitate;

G 2

bitate;